

105

103

109

099

114

094

154

054

204

004

Ende

Anfang

90

VII. Si peregrini propter aliquam rationabilem causam, utpote propter aquam afferendam, aut medicinam, aut alia necessaria, peterent emitti ad aliquem portum propinquum, in quem galēam non vult induci, teneatur nobis scapham et sca-phalerum dare ad transfretandum in portum.

VIII. Si patronus ad aliquem portum sterilem applicuerit, in quo peregrini sua necessaria invenire non possent, teneatur ipse eis dare ac si extra portum essent: secus si in portum bonum declinaverit, tunc omnes sibi ipsis tenentur providere.

IX. Debet patronus tutari peregrinos, tam in galēa quam extra, ne in galēa galeotae eos invadant, aut viliter tractent, aut de locis suis, si peregrini cum eis sedere voluerint, re-pellant; et extra in terra ne molestentur, obsistere debet, quan-tum potest, et in cumbis eorum nullum impedimentum ponat.

X. Quod patronus in terra sancta peregrinos permittat ad debitum tempus, nec nimis cum eis festinet, eosque ad loca consueta ducat et personaliter cum eis vadat. Et prae-cipue volumus, ut sine contradictione eos ad Jordanem ducat, in quo semper difficultatem peregrini patiuntur, et quod eos ab infidelium vexationibus eripiatur.

XI. Quod patronus omnia vectigalia, omnemque pecuniam pro salvo conductu exponendam, et pro asinis et aliis exactio-nibus, quibuscumque nominibus (**35 A**) censeantur aut ubicun-que exponere oportebit, ipse solus pro peregrinis totum solvere absque eorum sumptu teneatur, et curtusias magnas ; de parvis metpsi per nos providebimus.

XII. Quod peregrinus ipsi patrono pro hujusmodi omnibus, per eum, ut praefertur, faciendis vel exponendis, quadraginta ducatos de Zecha dictos, id est, noviter monetatos dare teneatur. Ita tamen, quod illius summae dimidiam partem in Venetiis exsolvat, reliquam vero in Joppe.

XIII. Si aliquem de peregrinis mori contigerit, patronus de derelectis ejus bonis nullo modo se impeditat, sed apud eum vel eos, cui vel quibus ejusmodi decedens bona sua legaverit, omnino relinquat intacta.

XIV. Si aliquis ex peregrinis ipsis antequam terrae sanctae applicarent, moreretur, patronus ipse dimidiam partem datae

